

*summa semper fide , ac studio Venetum nomen coluerint , ne
 hostium propinquitate , auxiliorum longinquitate adducti , ac
 prope desperatione adacti , præcipites ruant : quo quid acer-
 bius , quid durius , quid omni calamitatum genere cumula-
 tius contingeret ? At si opinione , ac fama non minus , quam
 viribus bella administrari solent , eaque ad res bene geren-
 das præclarum iter munit , quid hoc tempore vel ad terrorem
 nostris incutiendum , vel ad hostium insolescentes spiritus effe-
 rendos fieri importunius potest , quam classem in has fauces
 subducere , tanquam conspectum hostium sustinere nequiverit ,
 sed fuga se eripere coacta fuerit ? Ex quo audentior effectus
 hostis , quæ non in nos meditabitur ? quæ non sibi in nostrum
 exitium pollicebitur ? Atque utinam illectus , ac prope a no-
 bis evocatus , perpetuo Veneti nominis dedecore in sinum istum
 devectus , ubique crudelitatis , atque avaritiæ vestigiis relictis ,
 ferox , ac prædabundus non excurrat . Sed esto tot ditionum ,
 & gentium , quæ vestro imperio continentur , vos minime pie-
 tas tangat ; ne in barbarorum potestatem concedant , nulla
 pericula permoveant : non iste fugientis vestræ classis aspectus
 deterreat ? Mari hoc excipiat : quo loco consistet ? intra
 quas stationes , aut portus se continebit ? An ad Corcyram
 nigram ? at defervescente maris æstu , nudato solo immobilis
 adbærebit . Ad Sicumne ? Sed hostium finibus circumseptum ,
 immanibus tormentorum ictibus patet . Ad Faderamne ? at
 angusta ad tot triremes excipiendas , statio parum commoda
 censetur . Quid igitur reliquum , nisi ut hæc illi ad certum
 effugium æstuarium pateant ? Ita , dum toto mari hinc Turcica ,
 illinc Cæsareana classis percurrunt , in intimo hoc , ac pene
 abdito recessu , quidquid maritimarum virium immenso labore ,
 ac sumptu conguessistis , inutili otio torpere , propugnatorum cor-
 poris vires , atque animi aciem habescere patiemur ? Neque
 vero minus de annonæ nobis cogitandum erit , cum Charia-
 deno Neocastrum oppugnanti , atque oræ Adriatici maris
 quamplurimis navigiis insidenti facile admodum futurum sit ,
 commeatus vel ex oriente , vel ex Sicilia regno , & Iapygia
 intercipere . Atque ut secunda navigatio a Turcis relinquere-
 tur ; quæ ex Apulia , & Sicilia frumenta convehi possunt , ea
 cum in Cæsareanorum potestate sint , aut cum fame conflictari ,*